



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Ninus & Candaules reges, itemq[ue] Collatinus nimio mulierum amore  
perditi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Quid quòd ipsi saepe sibi coniuges in caussa sunt mortis celerioris? Cambles rex, noctu, vt fertur, præ amore, vxorem suam vorauit; manè adhuc manu eius in ore reperta. Ac ne hunc solum hoc fecisse putemus, multi amore nitzio vxores suas perdunt, dum eis noxia quæque permittunt. Immo se ipsos, dum vxoribus omnia permittunt, exitio obijciunt. *Syræ Semiramis, uerna regij ancilla, corpore questum fecerat. Quæ, cum in ipsam incidisset ipsamq; dilexisset Ninus, ita hominem in potestatem suam redegit contempsitq;, vt licere peteret sibi, & permitti, unum diem, in solio regio sedere, diademate redimitam, & responsa gentibus dantem. Quod ille cum concessisset, edixissetq;, vt omnes ei, perinde ac sibi parerent, & dicto essent audientes: gesit se in primis præceptis, vt periculum faceret, moderatè. Quos vt nihil obstrepentes, sed impigre mandata exequentes uidit, Ninum corripit; mox vinciri iussit; denique etiam obruncari. Quibus transactis, regnauit per Asiam clarè, longo tempore. Habuisset & Ninus vitam longiorem, nisi nimis vxorius fuisset.*

*Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos.*

*Egregium Veneris genus.*

*Candaules quoque nimium vxorem adamabat, eamq; præ amore, arbitrabatur omnium feminarum esse pulcherrimam. Hoc ita esse sibi persuadens, apud Gygem Dascyli filium ex satellitibus suis (erat enim is maximè acceptus, & quo ministro in rebus magis arduis utebatur) speciem vxoris supra modum extollebat. Et quia magis incredulæ sunt aures hominibus, quàm oculi, inuito ostendit, non quo decebat modo. Itaque, ob id probrum dormiens eiusdem vxoris iussu & ope, manu autem Gygis interfectus est; vna nocte, & regnū, & vxorè, & vitam amittens; victurus, si aspectu coniugis solus frui potuisset. Itaq; ipse luit linguæ & petulantia suæ leuitatem; quemadmodum Lucretia illa Romana viri proditionem; quam utique diutiùs habuisset Collatinus, nisi in vino eam alijs laudauisset. Itaque saepe vel sibi ipsis, vel thalami consorti mortem consciscunt nimij coniugum amatores; quas pro idolis habent, & tanquam Deas adorant. Igitur neque sceptrum ijs tradere oportet, neque eas alijs ostentare, aut prædicare, ne vel volentes, vel nolentes separentur.*

A a a

Quan-

VII.

Plutarch. in  
serm. amat.

Virgil. lib. 7.  
Æneid.

Herodot. 1.1.